

SCRIPTA

Numéro Scripta : 2431

Auteur(s) : Robert de la Pommeraye, La Pommeraye (doyen)

Bénéficiaire(s) : Coutances (hôpital-Dieu)

Genre d'acte : charte

Authenticité : non suspect

Datation : 1224

Action juridique : donation

Langue du texte : latin

Analyse

Donation à l'Hôtel-Dieu de Coutances de trois champs de terre sis à Saint-Sauveur de la Pommeraye, par Robert Le Doyen, dudit lieu.

Tableau de la tradition

Éditions principales

a. Le Cacheux Paul, *Essai historique sur l'Hôtel-Dieu de Coutances*, l'hôpital-général et les Augustines hospitalières depuis l'origine jusqu'à la Révolution avec cartulaire général, Paris, Picard, 1895-1899, 2 vol., t. 2, n° XXXIX, p. 31-32.

Texte établi d'après a

Noverint universi presentes et futuri, quod ego Robertus Decanus de Pomeria, divine pietatis intuitu, pro salute anime mee et animarum omnium parentum et affinium meorum, fratribus domus Dei Sancti spiritus et beati Antonii Constanciensis, tradidi et concessi, in purum et perpetuum feodum, unum campum terre, tres acras continentem aut modicum plus vel modicum minus, qui videlicet situs est in parrochia Sancti Salvatoris de Pomeria, ex una parte, et altera inter duos campos terre, quos fratres dicte domus emerant in eadem parrochia, juxta cimiterium, de Radulfo Guifart, quos scilicet tenet Thomas de Pomeria de dicta domo, et idem campus extendit se et vadit ex una parte usque ad fossatum quod dividit duas parrochias Sancte Johannis videlicet et Pomerie, et ex altera parte, sicuti duo predicti campi predictae domus se extendunt ; habendum et tenendum in perpetuum feodaliter per duos solidos usualis monete annui redditus, quos inde sepedicti fratres singulis annis ad festum sancti Michaelis michi et heredibus meis, vel cui eos voluero conferre, persolvent, omnibus servitiis necnon et aliis actionibus secularibus ad me et heredes meos pertinentibus per redditum nominatum cessantibus et remotis ; salvo tamen jure domini capitalis. Sciendum est autem quod ego et heredes mei necnon et illi omnes funditus, quos terram meam totam vel aliquam ejus partem, minimam vel magnam, ex caduco vel ex donatione mea post decessum meum contigerit possidere, tenemur campum sepedictum domui prenominate in perpetuum garantizare vel tantum annui redditus singulis annis ad festum sancti Michaelis reddere, quantum memoratus campus singulis annis magis poterit adfirmari. Quod ut firmum et stabile permaneat in futurum presenti carta mea confirmavi. Et ad majorem in posterum firmitatem, venerabilis pater Hugo, Constanciensis episcopus, sigillum suum huic presenti carte mee, ad precum mearum instanciam, fecit apponi. Actum anno gratie M° CC° vicesimo quarto.